

imperes. Nam plane si non respondero, putabor multis huius ineptissimae rixae praebuisse causam, et nihil quicquam prouocatus, tamen probris, diris et execrationibus insectatus illum: quod non <sup>170</sup> minus fuisset inhumanum, quam nunc falsum esse docui, si tu librum patieris exire. In quo quod secundo loco mones, vt si omnino decretum sit emittere, curandum mihi sit vt (quod hactenus me praestitisse dicens) eruditione tantum videar et causa Brixium, non etiam conuiciis vincere; ego, mi Erasme, vt eruditione contentus <sup>175</sup> sim si Brixio compar sim, ita causa non dubito quin longe sim superior, quantumuis suam Brixius asserat bonam, facilem, vincibilem; quod principium ex arte solet adhiberi ad defendendam noxiā. Conuiciis profecto facile me vinci patiar, quo armorum genere nunquam pugnare statui. Et tamen fieri potest vt quod mihi mea <sup>180</sup> facit iniuria nihil acerbum videri, idem alius cui non idem rei sensus est, iudicet esse mordaculum. Quod si fors acciderit vspiam, non adeo reuerebor aequitatem lectorum, quin et in me quoque, mi Erasme,—quantumcunque grauem personam tuus nobis imponat amor, qui magna de me fingit omnia; tamen dum adhuc inter <sup>185</sup> mortales versor, nondum plane relatus in diuos, vt in re ridicula rideamus, non verebor, inquam, quin aliquid et in me condonaturus sit humanus lector humanis, quos hominum nemo prorsus excusset, affectibus. Vale, mi Erasme charissime.

Quum Caletium venerimus, quo Rex propediem adernabit iter, <sup>190</sup> spero fore vt coram his de rebus commentemur plenius. Nam omnino in hoc Regum conuentu te expecto, atque ita Brixium: nam et Regina Gallorum aderit, cui cum sit a secretis Brixius, non poterit, opinor, abesse. Ita quod ad me attinet, facile rem compones ex sententia tua. Nam etsi nulla de causa sic egit in me vt plane <sup>195</sup> declarauerit nihil ad meam perniciem praeter vires defuisse sibi; tamen quando tu, mi Erasme, plus es mihi quam dimidium mei, plus apud me valebit in Brixio quod sit amicus tuus quam quod inimicus meus. Iterum vale. M.D.XX.

<sup>1090</sup> 1097. To THOMAS MORE.

Epistolae ad diuersos p. 544.

HN: Lond. xiv. 16: LB. 505.

Antwerp.

2 May 1520.

[Contemporary with Epp. 1098,9.]

ERASMVS ROTERODAMVS THOMAE MORO SVO S. D.

Non ignorabam, optime More, consilium istud vestrum, quantumlibet incommodum mihi, ab animo amantissimo proficisci, atque ideo non potui non boni consulere: quanquam interim saedulo testatus sum vos Leo consulere, non mihi. Perspectum erat hominis ingenium,

1096. 187. aliquid FN<sup>2</sup>: aliud N<sup>1</sup>s.

1099. M.D.XX add. H.

1096. 190. Caletium] See p. 296.

193. Regina] Claude of France,

14 Oct. 1499—20 July 1524.

1097. 4. Leo consulere] Cf. Ep. 973. 17.

5 huiusmodi tragoeidiis natum. Satis ardebat sua sponte, et tamen habebat qui quotidie oleum adderent camino. Ac saepenumero mecum admiratus sum vobis non itidem animaduersam Lei naturam, qui familiarius cum eo vixeritis. Nec vnquam eam pacem accepi, imo cum pacificus ille Pacaeus, optimo quidem animo sed consilio mihi 10 parum felici, reuersus e legatione Germanica conaretur nos in gratiam redigere, pertinacissime reclamaui, testificans eam pacem nullum alium fructum adferre nisi quem ego maxime fugerem : nec enim alia re magis offendit a Leo quam rumore libri aduersum me scripti, quem ille cum sine fine iactaret, nunquam tamen aederet, paucis 15 tantum iuratis communicans, quo sic me vocaret in inuidiam, vt interim nec me doceret quicquam nec ipse posset refelli.

Nec alia mea fuit oratio apud ipsum Leum quam fuerat apud Pacaeum. Sed quum perspicerem vobis concordi consilio sic esse decretum, malui non seruire meis commodis quam pugnare cum 20 animis vestris. Etenim quum nunc talis prodierit liber, vt iis etiam modis omnibus displiceat, qui hactenus illi fauebant, vt hoc organo in meam perniciem abuterentur: quos ludos nobis praebuisset sacer ille liber, qui per paucos iuratos amicos et crassos Abbatulos circunferebatur, nec ostendebatur nisi initiatis, quum hic in quo non ab 25 vno adiutus est, tot ineptiis scateat? Cuius rei si libet facere periculum, confer haec quae aeditit orbi, cum iis quae scripsit selectis amicis. Sed haec sera iam sunt.

Caeterum quod hortaris vt meminerim Christianae modestiae, sane memorem mones : etiam si non dubito futuros qui modestiam hanc 30 vel ignauiam vel formidinem vel aliud quidvis interpretentur. Iam dudum aggressus sum illi respondere. Exit operis aliqua pars ; ea, ni fallor, decebit me Leum magis vincere moderatione animi quam eruditione. Vt hic mundus mihi gratiam referat, nec anxie postulo nec admodum expecto. Verum admiror quorundam dementiam, qui 35 posthabitis rebus omnibus vnum illud deuotis animis agunt, vt quam minimum fructus e meis vigiliis ad studiosos perueniat. Atque hunc vitae suae fructum optimum esse ducunt, si commodis omnium obsistant. Bene vale cum tuis omnibus, vir immortalitate dignissime.

Antuuerpiae postridie Cal. Maias. An. M.D.XX.

### 1098. To HENRY VIII.

Epistolae ad diuersos p. 501 (451).

HN: Lond. xiii. 1: LB. 531.

Antwerp.

(3 May) 1520.

[It is clear that in the date, *exaltatae* (14 Sept.) must be corrected to *inuentas* (3 May); for this letter is no doubt of the same epoch as Epp. 1097,9. This inference may be corroborated by the estimate of time in ll. 27-8, forty days]

37. optimum F: opimum N.

10. reuersus] Cf. Ep. 1001. 53n.

20. iis] The Louvain theologians.

23. Abbatulos] See Epp. 1061. 150, 152nn, 1074. 6on.

31. aliqua pars] The *Apologia qua re-*

*spondet* and the first *Responsio*: see Ep. 1037 introd.

38. tuis omnibus] For letters written to Erasmus by More's 'school' about this time see Ep. 1233.